

1981-02-11 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Quandoquidem Sancta’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

QUANDOQUIDEM SANCTA

**SS. APOSTOLI PETRUS ET PAULUS CONFIRMATUR
PATRONI PRINCIPALES DIOECESIS DE PHAT-DIEM, IN VIETNAMIA**

Ad perpetuam rei memoriam. – Quandoquidem sancta Christi Ecclesia, in similitudinem Evangelicae naviculae iactatur ventis et tempestantibus huius procellosi maris, idcirco consueverunt Romani Pontifices, qui sunt Ecclesiae gubernatores, singulas dioeceses caelestibus Patronis concredere, qui sua virtute, prece, intercessione eas protegant. Quare, cum Venerabilis Frater Bui-Chu-Tao, Episcopus de Phat-Diem, in Vietnamia, ab hac Apostolica Sede petierit ut electionem beatorum Petri et Pauli in Patronos principales dioecesis, quam clerus populusque fecisset, ipse, Episcopus, probavisset, auctoritate Nostra confirmaremus ad normam Instructionis De Calendariis particularibus atque officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30; Nos, rati id posse vinculum amoris constringere, quod cum Apostolica Sede dioecesi illi intercedit, aequissimo animo admotae exostulationi concedimus, fore sperantes ut data facultas pietatem erga Deum eiusque Apostolos augeat. Quae cum ita sint, ea confirmantes, quae Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione hac de re statuit, factis a Nobis potestatibus, SS. Apostolos Petrum et Paulum Patronos principales nominamus, declaramus, renuntiamus dioecesis de Phat-Diem, factis iuribus atque liturgicis concessionibus, quae fieri solent, modo ea servata sint, quae ea Instructione continentur. Contrariis minime obstantibus. Ceterum, Pastori ac gregi dioecesis de Phat-Diem a Deo bona omnia expetimus, Patris amore.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Februarii, anno MDCCCCLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*